
ctuale, subdi
lena delibe
frequent
liberati
Perfe



FEDERICI SAMINIATI

PATRITII LVCENSIS

Tabulæ Astronomicæ:

Quibus facilè omnia capita, quæ ad vſum ſphæræ primi mobilis præcipiuntur, confici poſsint.

HIS QVOQVE ACCESSERVNT, FVNDAMENTVM, Apodixis, cauſa ac demonſtratio, nec non ſupputandi Methodus abſolutiſsima, quibus Aſtronomiæ ſtudioſus, ſuo marte, per triangula plana & ſpherica omnes tabulas primi motus condere poſsit.

Opus ſanè omni æuo deſideratiſsimum nec antea viſum.



ANTVERPIAE.

Ex Officina Typographica Martini Nutij, ad inſigne duarum Ciconiarum, 1599.

Cum Gratia & Priuilegio.

SVMMA PRIVILEGII.

ISabellę &c. Hiſpaniarũ Infantis, Belgij Principis Priuilegio cautũ eſt, ne quis citra voluntatem Martini Nutij, Typographi Antuerpienſis, intra duodecim annos proximos imprimat *Federici Saminiati Patricij Lucenſis Tabulas Aſtronomicas.* Qui ſecus faxit confiſcatione librorum & graui pœna mulctabitur: Vt patet in literis datis Bruxellæ 17. Iulij 1599.

Signat. Piermans.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO PATRI BONAVENTVRAE CALATAGYRONE, PATRIARCHAE Constantinopolitano dignissimo, & Ordinis Diui Francisci Ministro generali.

FEDERICVS SAMINIATI PATRICIVS *Lucensis lubens meritò consecrat.*

QVOD tabulas hasce Astronomicas, qualescunque ingenij mei primitias tibi, Illustrissime ac Reuerendissime Pater, consecrandas censuerim, summa animi in te mei propensio postulabat; tuæ etiam flagitabant virtutes. Et quid ni immortali in te studio meus propendeat animus, quem tu tot tantisq; nuper beneficijs, nullo meo merito tibi deuinxisti? vt tecum ille in vltimas regiones sæpius exinde peregrinari, quàm hîc mecum ex more nũdinari maluerit. Ex quo enim è Latio in Aduaticas hasce oras, atque vt propiùs dicã, in Europæ emporium Antuerpiam pedem intulisti, adeò me inter cæteros (qui gratulandi animo, magno numero, maiori grauitate ad te confluebant) benignè humaniterq; excepisti, adeò beneficijs cumulatũ dimisisti, vt vnicam illam dieculam inter auspicatissimas sortis meæ partes meritò annumerandam putarim: quæ me non solùm in

repentinum humanissimi vultus tui aspectum, suauissimamq́ alloquij fruitionem obiter adduxit; sed quæ indelebilem quoque incredibilis tuæ comitatis memoriam adeò mihi impressit; vt quidquid in me est ingenij, quidquid industriæ, id omne tuo obsequio lubẽs meritoq́ cõsecrandũ censeũ. Ac nisi bona Sors in priuata hæc familiaritatis tuæ me adduxisset officia, tanta insuper virtutum tuarum sunt merita; tantus collatæ nuper dignitatis in te splendescit honos, vt hanc meam qualemcunque opellam tuo tibi iure, citra omnem mei querelam, possis vindicare. Nam vt ego ingenij tui acumen, vt variarum rerum peritiam, vt tot optimarũ disciplinarũ scientiam (quæ omnia in te summa sunt, & gradu suo excellẽtissima) omittam: vt nihil insuper de singulari tua in Seraphico ordine, tot toto terrarum orbe monasterijs diffuso, tot capitũ censuris vario, rite administrando industria dicam: Vniuersa sanè Gallia, & vicinum ipsi (sed ciuilibus nunc bellis infelix) Belgium raras tuas in afflictissimis rebus scitè componendis virtutes nunquam prædicare cessabunt. Tu enim desperatam vtrique quietem restituisti; tu negotia seueris vtrimque edictis prohibita reduxisti; tu ferocientes animos tui solius ingenij acrimonia, tanquã Caduceo, sedasti: tu Ligerũm Marte cum Ibero

Leone

Leone ferro flãmaq́ pariter instructo signa iam iamq́ collaturum cohibuisti: tu innoxio optimorum ciuium sanguini securitatē peperisti: tu cultros à tot innocentium Christianorum iugulis tum demum auertisti, quando à Clemente eius nominis octauo Pontifice optimo maximo tanquam Caduceator in Galliam superiori anno legatus, faustißimo tuo aduentu arma inter duos potentißimos Christiani orbis Principes, non sine insigni Ecclesiæ offendiculo mota, pactis feliciter primùm inducijs, suspendisti: Nec priùs delegatam hanc tibi prouinciam, grauißimis licet implicatam laboribus, deseruisti, quàm vt occluso Marte, vtrumque Principem in indissolubile fœdus amicitiamq́ cum vnanimi subditorum applausu adduxisses. Quæ tua, quàm omnibus bonæ mentis hominibus, & imprimis Ecclesiæ Romanæ accepta fuerit industria, satis superque honorifica illa indicat compensatio, qua summus Ecclesiæ Pastor, & tuæ legationis auctor te in Patriarchā Cōstātinopolitanum nuper, plaudente purpuratorum Patrum Collegio, cooptauit: Quam quidem dignitatem vniuersæ hæ prouinciæ iampridem tibi in accepti beneficij compensationem summis votis exoptarunt; ego verò eandem tibi, tanquam felix maioris promotionis auspicium, ex animo etiam atque

etiam gratulor: Ac in communi hac Belgij (quæ tot annis mihi instar patriæ alumna est) lætitia opusculum hoc meum tibi inscribere, penitusq; dedicare volui; sperans illud tutelarem apud te locum contra liuidorum insultus obtenturum, quemadmodum singularis tua Comitas mihi nuper inter amicitiæ tuæ cultores sedem, licet immeritò, concessit: qua si insuper mihi frui licebit, votis meis in hac vita satisfactum censebo. Antuerpiæ Pridie nonas Augusti 1599.

PRAE-



PRAEFATIO AVCTORIS.



STRONOMIA, (Lector humanissime) duas habet partes, quarum prior docet motũ primi mobilis, quo scilicet octo stellarum orbes ab ortu in occasum circa Polos mundi, spacio 24. horarum circumuoluuntur. Posterior verò septẽ Planetarum & octauæ sphæræ motus considerat, qui primo motui contrariantur, & ab occasu in ortum super Polis Zodiaci fiunt: sed de hac secunda parte nihil hîc dicemus, quia aliò pertinet hos secũdos, siue proprios stellarum, tam errantium quàm inerrantium motus explicare.

Cùm igitur duo diuersi sint motus, duo etiam genera Astronomicarum Tabularum orbium cælestium ab artificibus conficiuntur, quarum Tabularum primæ præbent omnes calculos qui ad vsum sphæræ primi mobilis spectãt. Secundæ autem, præter medios, etiam & veros siue adparentes motus omnium siderum ad quæuis tempora exhibent; verùm, vt antè dictum est, omittemus hic speculationes, & Theoricas secundorum motuum, & tractabimus tantummodo de re ad sphæræ primi mobilis motum spectante.

Et quanquam Ptolemæus, Purbachius, Monteregius, postremoq́; Copernicus, ambas has cælestium orbium reuolutiones, simul suis tabulis satis superque videantur descripsisse, & singulatim Ioannes de Monteregio in suo libro quem inscripsit Tabulæ directionum, &c. Qui postmodum per Erasmum Rheinholdũ auctus est, ita vt superuacaneum videri possit, ijs aliquid addere; Attamen cùm inueniamus deesse id quod hîc adiunximus, non potuimus non committere, quin cùm artis huius studiosis ista communicaremus, præsertim ad hoc rogati à Reuerendo in Christo patre D. Ioanne Hayo, patrum societatis Iesu, Theologo dignissimo.

Quæ verò his adiunximus, quod hucusque à nemine factum esse reperimus, sunt Tabulæ subsequentes, quæ omnes initium sumunt ab eleuatione Polĩ, graduum 36. vsque ad gradum sexagesimum secundum, vt pote:

1. Tabulæ altitudinum Solis, ad omnes horas, pro singulis zodiaci gradibus.

2. Tabulæ azymuth Solis, ad omnes horas, pro initijs duodecim signorum circuli obliqui.

3. Tabulæ altitudinum Solis in circulo verticali, ad signorum principia supputatæ.

4. Tabulæ amplitudinis ortiuæ & occiduæ.

5. Tabula præcipuarum stellarum fixarum, continens earundem long. latit. declinationes, nec non asc. rectas, &c.

6. Tan-

6. Tandem his adiunximus tabulas declinationis Solis, ascensionum rectarũ, ac quantitatum dierum, &c.

Porrò quem vsum hæ tabulæ beneuolo Lectori cõferent, descriptio primæ partis huius libri facillimè demonstrabit. Nam in secunda parte breuiter ostendemus modum ad omnia nullo negotio supputanda, quæ ad primum motum spectant: Idque non solùm adminiculo tabularum Sinuum, verùm etiam ad hoc uti volumus, maioris facilitatis gratia, tabulis tam Tangentium quàm Secantium, quibus plerumque vnica simplici multiplicatione tantum præstamus, quantum veteres tribus quatuórue regulis aureis.

Quod cùm sciamus studioso Lectori non solùm vtile, verùm etiam gratissimum fore, hanc nostram operam de meliori nota ipsi commendatam percupimus, donec harum artium maioris aliquid momenti edituri sumus, interim (benigne Lector) vale, & his fruere.

IN-



INDEX CAPITVM, QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

Primæ partis Capita.

** Secundæ

INDEX.

Secundæ partis Capita.

INDEX TABVLARVM ASTRONOMICARVM quæ in hoc libro extant.

AD



AD D. FEDERICVM SAMINIATI LVCENSEM MATHEMATICVM.

NON erat ampla satis tibi, Samminiate, voluptas,
Cœlorum faciem, & conuexos cernere vultus
More hominum, hærentemq́ solo, spectare ruentes
Præcipiti pede Solis equos, currumq́ rotantem
Orbis, & æthereis equitantia sidera campis.
Nam quia mortalis sunt hæc communia turbæ
Munera, displicuit proiecti tramite vulgi
Sistere, & in triuio fatuas tibi quærere lauros.
Spiritus ille potens, tua qui feruentia flammis
Corda quatit, validosq́ animis qui suscitat ignes
Ad maiora rapit, cogitq́ capescere calles
Insolitos, non delicijs, non laude carentes.
Nam te sublimem longeq́ per æthera vectum,
Sulcantemq́ polos generosa robore mentis
Mirandas trahit in terras, patriamq́ decoram
Luminibus crebris, ardentesq́ ignibus aulas.
Hic cœli, solisq́ vias tibi monstrat, & orbes
Stellarum, quod quâque die, quo deniq́ puncto,
Aut cadit, aut surgit sidus, queis legibus, & quo

** 2 Ordi-

Ordine, progreditur domus omnipotentis olympi,
Tu cœli penetrare sinus, atque intima magni
Regna Iouis, superumq́; ausus reserare penates
Tutus, & arcanam mortalibus indere flammam.
Factum audax, summaq́; luit quod rupe Prometheus,
Credere si dignum fingentibus ista poëtis;
Sed te nequicquam vana hæc insomnia terrent,
Qui priuata virûm, qui publica commoda curas
Intrepidus, solaq́; potes ratione moueri.
Perge igitur fœlix, & docta per ora virorum
Ito præpetibus pennis; non Itala tellus,
Non Lucumo ille tuæ princeps iustissimus oræ,
Luca nec antiquis Samnitum habitata colonis,
Frustra se tanto dignam iactabit alumno.

Ludouicus Dorleans mathematices amator, in gratiam D. Federici Saminiati Lucensis hæc ludebat Antuerpiæ, 1 5 9 9.



NOSTRA boni culpæq; ferax noua protulit ætas,
Quæ fuerant multis abdita temporibus;
Namque Magellanes dum permeat æquora classe,
Australes reperit quas peragrauit aquas.
Impiger ille Ligur generosa mente Columbus
Detegit auriferi litora Peruuij.
Belga ferox glaciale fretum perrumpit, & audax
Metatur portus, ô noua Zembla, tuos
Tempore sic nostro, sæcliq; fluentibus annis,
Multa reperta salo, multa reperta solo.
Restabat cœlum; tu, Samminiate, recentes
Cœlorum clauso pandis in orbe plagas.
Quæq; priùs fuerant mortali imperuia turbæ,
Tu virtute tui conteris ingenij.
Viuite per terras, & per freta viuite læti,
Queis freta, queis terras est reperisse datum.
Ille quod ingenij lustrarit lumine cœlos,
Qui viuat cœlo Samminiatus erit.

Marinus Ghettaldi Patricius Racusinus in laudem D. Federici Saminiati insignis Mathematici & amici sui hæc scribebat.



AD AVCTOREM.

Astrorum curſus varios, motusq́; recenſes,
Lapſaq́; ſub terras, ortáque ſigna doces.
Quâ Phœbe ſtatione vices, quâ mutet Eous,
Quo lauet emeritos litore Phœbus equos
Cœleſtisq́; vias, Friderice, perambulat orbis
E terris Genius raptus ad aſtra tuus.
Vidit, & Vranie meritis pro talibus, inquit,
Secernens reliquo te grege, noſter eris.

I. Bochius. S. P. Q .Ant. à ſecretis.





MICHAELIS COIGNETI

ANTVERPIANI, IN FEDERICI SAMINIATI PATRITII LVCENSIS,

Aſtronomicarum tabularum libros,
Epigramma.

ASTrorum qui ſint curſus, quis motus Olympi
Primi continuus perpetuuſq; fiet,
His edis tabulis, ingenti non ſine fructu
Lectorum, Ingenij dexteritate tui.
Verùm quo pacto Cœleſtia corpora motu
Voluantur proprio, noſtra Minerua breui
(Si viſum Superis) circlo deducta recenti
Orbibus atque nouis, proferet in medium.



PRIMA PARS DE VSV SEQVENTIVM TABVLARVM ASTRONOMICARVM.

CAPVT PRIMVM.

De vero loco Solis in Zodiaco inueniendo.



Ntequam ad vsum harum Tabularum peruenire poterimus, opus erit in primis modum demonstrare, quo quotidie scire possimus verum locum Solis in Zodiaco.

Quando quidem vsus earundem Tabularum fundamentum sumit ex cognitione veri loci Solis.

Et vt eundem perfectè cognoscamus, necessarium est, vt præ manibus habeamus aliquas Ephemerides currentis Anni, accuratè supputatas, iuxta Prutenicas Tabulas, quæ fundamentũ sumunt ex noua correctione Nicolai Copernici.

Et quia non contingit vnicuique vt eas habeat, propterea ereximus hîc tabulam quandam veri loci Solis, quam sufficientem ac generalem satis iudicamus, ad harum Tabularum vsum, eo tamen modo vt vtamur certis quibusdam regulis æquationum, quas posthac docebimus.

Quæ Tabula, vt nobis possit ad omnia Climata Europæ vsui esse, eandem numerauimus ad Meridianum Antuerpiensem, ita vt in ea verus locus Solis ad prædictum Meridianum inueniri poterit, quem Antuerpiensem Meridianum cur præ cæteris aliis elegerimus, rationes hæ sunt.

Meridianus Antuerpiensis, est longitudinis à Meridiano Insularũ fortunatarũ grad. 25. 41. Iuxta Gerardi Mercatoris nouas Tabulas Geographicas.

Occidentalis verò pars Europæ, posita est, Occidentalior Meridiano Antuerpiensi, gradibus circiter 16. Citerior Italiæ pars sita est ferè gradus 16. versus ortum, cuius rei differentia non maior est quàm vna hora & 4. Minuta vnius horæ, quod in motu Solis non differt nisi minuta 2. 30. ferè vnius gradus.

Attamen si quis curiosior, hanc Meridianorum differentiam negligere nollet, isthoc modo corrigere poterit, nimirum vt subtrahat vnum minutum à vero loco Solis in Tabula reperto, dummodo suus meridianus 6. gradibus orientalior fuerit à meridiano Antuerpiensi. Vel poterit è conuerso vnum minutum addere, si fortè suus meridianus 6. gradibus occidentalior esset, quàm Meridianus Antuerpiensis.

Praxis.

Vt ergo verum locum Solis quotidie inueniamus, quæremus in fronte Tabulæ Mensis nomen, in latere verò sinistro Diem, & in angulo communi Tabulæ verum locum Solis in Meridie Antuerpiensi reperiemus.

Si autem sub alio Meridiano fuerimus, vti poterimus æquatione, quàm suprà declarauimus; veruntamen ex eodem nondum habemus verum locum Solis, nisi alia vtamur inspectione, videlicet vt sciamus has Tabulas solummodo seruire pro anno primo vertente post Bissextilem, nam supputatæ sunt pro simili anno, nempe pro anno Dominicæ incarnationis 1601. quapropter hæc nostra Tabula indicabit verum semper locum Solis, quando annus datus fuerit post Bissextilem primus.

De cætero autem, sequentes cautiones obseruabimus.

Pro primo anno post bissextum nihil addes aut demes.

Pro secundo, auferendus est quadrans vnius gradus à loco Solis in Tabula inuento.

Pro tertio aufer semissem gradus.

Pro quarto, qui Bissextilis est, subtrahe tres quadrantes vsque ad finem Februarij postea addes quadrantem vnius gradus, in exitum vsque Anni.

Sed si adhuc exactiùs lubeat hunc Solis locum verū examinare, adijciendum erit singulis octo annis vnum minutum ad locum Solis inuentum, quæ praxi ac cautela nostræ tabulæ suppeditabunt, in quamplurima sæcula, absque sensibili errore, verum locum Solis in Zodiaco.

Exemplo autem placet hæc omnia declarare.

Sit inquirendus verus locus Solis in vrbe Venetiarum ad 25. Diem Martij, Anni à virgineo partu 1610.

Primò per diem mensis inuenies in præscripta Tabula verum Solis locum in 4 gradu 22. Arietis, hinc auferes (quoniam annus vertens est secundus post Bissextilem) minuta 15. & remanent grad. 4. 7. Pro differentia meridianorū (quoniam Venetiarum vrbs orientalior est Antuerpia) auferendum esset vnum minutum, sed quoniam è conuerso vnum minutum addendum est propter 9. annos post radicem Tabulæ elapsos, manebit ergo verus Solis locus, ad tempus præfatum, in gradu quarto scrup. 7. ♈. quod cum Tabulis Ephemeridum Doctiss. Ioannis Magini concordat.

Sequitur Tabula veri loci Solis.

Tabula

Tabula veri loci Solis, ad Annum Dominicæ Incarnationis 1601.
Qui primus est post bisextum.

	Ianuarius.		Februarius.		Martius.		Aprilis.		Mayus.		Iunius.	
Signa	♑		♒		♓		♈		♉		♊	
Dies	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M
1	10	46	12	17	10	29	11	16	10	35	10	27
2	11	47	13	17	11	29	12	16	11	33	11	24
3	12	48	14	18	12	29	13	15	12	31	12	22
4	13	49	15	19	13	29	14	14	13	29	13	20
5	14	50	16	20	14	29	15	13	14	27	14	17
6	15	51	17	20	15	29	16	11	15	25	15	15
7	16	52	18	21	16	29	17	10	16	23	16	12
8	17	53	19	22	17	29	18	9	17	21	17	9
9	18	54	20	22	18	29	19	8	18	19	18	7
10	19	56	21	23	19	29	20	7	19	17	19	4
11	20	57	22	23	20	28	21	6	20	15	20	2
12	21	58	23	24	21	28	22	4	21	13	20	59
13	22	59	24	24	22	28	23	3	22	11	21	56
14	24	0	25	25	23	28	24	2	23	9	22	54
15	25	1	26	25	24	27	25	0	24	7	23	51
16	26	2	27	26	25	27	25	59	25	5	24	48
17	27	3	28	26	26	27	26	58	26	2	25	46
18	28	4	29	27	27	26	27	56	27	0	26	43
19	29	5	0 ♓	27	28	26	28	55	27	58	27	40
20	0 ♒	6	1	27	29	25	29	53	28	56	28	38
21	1	7	2	28	0 ♈	25	0 ♉	52	29	53	29	35
22	2	8	3	28	1	24	1	50	0 ♊	51	0 ♋	32
23	3	9	4	28	2	23	2	49	1	49	1	30
24	4	10	5	29	3	23	3	47	2	46	2	27
25	5	11	6	29	4	22	4	45	3	44	3	24
26	6	11	7	29	5	21	5	44	4	42	4	22
27	7	12	8	29	6	21	6	42	5	39	5	19
28	8	13	9	29	7	20	7	40	6	37	6	16
29	9	14			8	19	8	38	7	34	7	13
30	10	15			9	18	9	37	8	32	8	11
31	11	16			10	17			9	29		

Sequitur residuum Tabulæ veri loci Solis, &c.

	Iulius.		Augustus.		September.		October.		Nouember.		December.	
Signa	♋		♌		♍		♎		♏		♐	
Dies	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M
1	9	8	8	46	8	39	7	57	8	45	8	59
2	10	5	9	44	9	37	8	56	9	45	10	0
3	11	3	10	42	10	35	9	56	10	45	11	1
4	12	0	11	39	11	33	10	55	11	45	12	2
5	12	57	12	37	12	32	11	54	12	45	13	3
6	13	55	13	34	13	30	12	53	13	45	14	4
7	14	52	14	32	14	28	13	52	14	46	15	4
8	15	49	15	29	15	27	14	52	15	46	16	5
9	16	46	16	27	16	25	15	51	16	46	17	6
10	17	44	17	25	17	23	16	50	17	47	18	7
11	18	41	18	22	18	22	17	50	18	47	19	8
12	19	38	19	20	19	21	18	49	19	47	20	9
13	20	36	20	18	20	19	19	49	20	48	21	10
14	21	33	21	16	21	18	20	48	21	48	22	11
15	22	30	22	14	22	16	21	48	22	49	23	12
16	23	28	23	11	23	15	22	47	23	49	24	13
17	24	25	24	9	24	13	23	47	24	50	25	14
18	25	22	25	7	25	12	24	47	25	50	26	15
19	26	20	26	5	26	11	25	46	26	51	27	16
20	27	17	27	3	27	9	26	46	27	51	28	18
21	28	15	28	1	28	8	27	46	28	52	29	19
22	29	12	28	58	29	7	28	45	29	53	0 ♑	20
23	0 ♌	9	29 ♍	56	0 ♎	6	29 ♏	45	0 ♐	53	1	21
24	1	7	0	54	1	5	0	44	1	54	2	22
25	2	4	1	52	2	3	1	45	2	55	3	23
26	3	2	2	50	3	2	2	45	3	55	4	24
27	3	59	3	48	4	1	3	45	4	56	5	25
28	4	56	4	46	5	0	4	45	5	57	6	26
29	5	54	5	44	5	59	5	45	6	58	7	27
30	6	51	6	43	6	58	6	45	7	58	8	28
31	7	49	7	41			7	45			9	29

CAP.

CAPVT II.

De Altitudine Solis Meridiana quotidie inuestiganda.

PRIMO de quibusdam lector est monendus, ut præcepta huius capitis facilius capiat.

1. Quòd hæ Tabulæ, quemadmodũ & cæteræ omnes, quæ in hoc libro continentur sōlùmodo supputatæ sunt ad præcipua Climata totius Europæ, nempe à gradu latitudinis 36. usque ad gradum sexagesimum-secundum.

2. Quòd Solis declinatio maxima non manet immota, sed progressu temporis paulatim variatur. Ptolemæi tempore deprehensa est graduum 23. scr. 52. ferè. Nostris verò temporibus deprehenditur, ultra præfatos 23. gradus solummodo habere scr. 28. ad hanc minimam Declinationem Solis, omnes sequentes Tabulas supputauimus.

3. Altitudo Meridiana, iuxta sphæricorum elementorum definitionem, est Arcus Meridiani inter finitorem (Græci Horizontem vocant) & locum Solis interceptus, quia Sol, sicut & cæteræ Stellæ, manè exoriens, paulatim motu Primi Mobilis, ad Meridianum in sublime defertur, ad quem cùm peruenerit, erit in summa altitudine istius Diei, quæ Meridiana dicitur, quam ita deprehendes.

In Tabula Altitudinum Solis, pro singulis horis, ad tuam propositam eleuationem Poli calculatam, quæres signum Solis in capite Tabulæ, & gradum in latere sinistro descendendo, vel ad dextram ascendendo, & sub columna horæ Duodecimæ reperies gradum, & graduum scrupula (si fortè adsint) quæ quæsitam Solis Altitudinem Meridianam demonstrabunt.

Examen huius Tabulæ erit, ut quæras, per locum Solis in Tabula Declinationis, ad calcem huius libri adiecta, veram Solis Declinationem ab Aequatore, quæ duplex est, Borea scilicet vel Austrina. Sed quàm verè partem obtineat, deprehenditur ex signo quod Sol isto die peragrat, quoniam sex Signa ♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍ dicuntur Borea, reliqua Austrina.

Hanc Declinationem addes complemento Eleuationis Poli tuæ regionis, si Borea fuerit, vel ab eodem auferes, si Austrina, & numerus prouenïens indicabit Solis meridianam Altitudinem, quæ si ad amussim cum præcedenti numero ex Tabulis nostris deprompto conueniet, certum erit quòd rectè operatus fueris.

CAPVT III.

Quomodo per Solis Altitudinem meridianam, ac poli Eleuationem, verum eius locum in Zodiaco possis inquirere.

Praeceptum hoc conuersum est praecedentis, nam ibi demonstratum est, si locus Solis datus fuerit, quomodo eius meridiana altitudo inuenietur, hic verò quaeritur locus Solis ex inuenta altitudine Solis in Meridie.

Per organum aliquod magnum, capiatur in meridie Solis Altitudo, qua intrabis Tabulam Altitudinum Solis, latitudini tuae regionis conuenientem; & si in eadem Tabula hanc deprehensam altitudinem Solis praecisè inueneris, habebis mox ad sinistram vel dextram partem Tabulae quaesitum gradum Solis, & in fronte eiusdem gradus signum.

Sin autem haec inuenta altitudo non fuerit expressa in Tabula, tunc vtere parte proportionali, quae (vulgari modo) per regulam auream capitur, & eris compos voti.

CAPVT IIII.

Quomodo quolibet Die latitudinem Regionis inuenies.

Latitudo alicuius Regionis est, Arcus Meridiani Circuli inter aequatorem & punctum verticis comprehensus.

Poli verò eleuatio supra Horizontem est, portio meridiani Circuli inter Horizontem & Polum mundi.

Quòd autem haec duo semper sunt aequalia, patet ex Sphericis elementis, quia quanta est circulorum inter sese intersecantium inclinatio, tanta est eorum Axium.

Cùm ergo eleuationem Poli supra Horizontem quolibet Die volueris accipere, deprehendes primò per aliquod Quadratum magnū, vel simile Mathematicum instrumentum, Altitudinem Solis Meridianam, deinde sit tibi in promptu verus locus Solis in Zodiaco.

Hac adeptus, intrabis Tabulas Altitudinum Solis sub Columna Hora 12. inquirendo per omnes Tabulas, donec inueneris hanc inuentam Altitudinem meridianam è regione dati gradus Solis, & titulus Tabulae indicabit quaesitam Eleuationem Poli sed si praefata Solis Meridiana altitudo non praecisè in Tabula inuenitur, vtere parte proportionali, & inuenies quaesitum.

Aliter per Tabulam Declinationum.

1. Meridianam Solis Altitudinem, per instrumenta inuentam, aufer à Gradibus 90. & residuum hoc dicitur distantia Solis à vertice.

2. Deinde

2. Deinde per Gradum Solis capies Solis declinationem Boream vel Austrinam, quod facilè discernes ex signo in quo Sol eo die inuenitur.

3. Vlt. mò addes hanc Declinationem (si Borea fuerit) ad distantiam Solis à vertice, vel eandem (si Austrina inuenitur) auferes ab eadem distantia, & quod prouenict dabit quæsitam latitudinem Regionis.

CAPVT V.

De Altitudine Solis omni hora diei, in præcipuis Climatibus totius Europæ, facilè monstranda.

ARCVS Circuli verticalis trāseuntis per Centrum Solis, comprehensus inter Horizontem & prædictum Solis Centrum, vocatur vulgariter Altitudo Solis, siue Almucantarath apud Arabes, harū cognitio magnam præbet Astronomiæ cultoribus vtilitatem, tum in construēdis instrumētis Gnomonicis, vt sunt Cylindri, Annuli horarij, & Quadrātes, tum in conficiendis omniū generū Solarijs &c. eandem verò sic excerpes.

Quære in Tabula (quæ propositæ latitudini possit inseruire) signum Solis ad sinistram, & eius gradum in margine Sinistro descendendo, vel ad dextrā cum gradu Zodiaci eiusdem signi ascendendo, & in area Tabulæ sub columna data Horæ, reperies gradus & minuta, quæ quæsitam Solis eleuationem supra Horizontem monstrabunt.

CAPVT VI.

De hora Diei in præcipuis Europæ Climatibus indicanda, ex data Solis Altitudine supra Horizontem.

PRæceptum hoc similiter conuersum est præcedentis, quare qui nostras tabulas altitudinum Solis, ad singulas horas, & ad omnes gradus Zodiaci erectas, rectè intellexerit, exiguo labore poterit è contrario, ex inuenta Altitudine Solis Horam Diei inuestigare, quod vt facile assequi possis, tria erunt tibi imprimus cognitu necessaria.

1. Gradus Solis in Zodiaco, qui per Diem Mensis inuenitur.

2. Eleuatio Poli supra Horizontem.

3. Altitudo Solis supra Horizontem, quæ per magnum aliquod Quadratum sumetur.

Habitis his tribus, ad nostras Tabulas accedes, & in Tabula altitudinis Solis, pro singulis Horis, tuæ Regioni conuenienti, quæres in Area Tabulæ è regione gradus Solis eius Altitudinem, per instrumentum inuentam, quam vbi præcisè inueneris, apparebit tibi, in capite Tabulæ, Hora quæsita siue antemeridiana siue pomeridiana.

Tempus

Tempus autem an sit antemeridianum, an pomeridianum, facile est dignoscere, quia si altitudines Solis supra Horizontem, (per interualla temporis spatia sumptæ) crescunt, pronuntiabis quòd tempus tuæ considerationis est antemeridianum, sin verò decrescunt, pomeridianum, si deinde Solis altitudo per instrumenta inuenta, non expressè inuenitur in proposita tabula, tunc scrupula horarum per partem proportionalem inuestiganda sunt, quæ præcepta potiùs exemplis quàm longis verborum ambagibus demostranda sunt.

Exemplum.

Die primo Mensis Iunij Anni humanæ salutis 1599. deprehendi Antuerpiæ magno quadrato Altitudinem Solis Antemeridianam graduum 40. scrupulorū 30. locus Solis in Zodiaco decima pars Geminorum. Cum gradu solis intra in Tabulam Altitudinū Solis sub Polo 51. graduum, quærendo in Area Tabulæ è regione 10. gradus Geminorum, gradum 40. cum semisse, quem cùm non præcisè inueneris, exscribe numero minori & maiori proximos, minorem scilicet gradus 35. 38. sub titulo horæ 8. manè, maiorem verò grad. 44. 42. In columna horæ 9. ex quorum differentia inuenies meam inuentam altitudinem (adminiculo regulæ aureæ) conuenire ad horam 8. 32. 12.

Sed cùm eleuatio Poli Antuerpiæ sit Graduum 51. cum quadrante, ingrediendum est in tabulam 52. grad. eleuationis Poli, in qua reperies, Horas 8. 34. 12. respondere ad gradus 40. 30. Altitudinis Solis.

Temporum quartam partem differentiæ adijcies ad horas 8. 32. 12. primò repartas, & colliges quòd quæsita obseruatio facta sit manè ad præscriptam octauam Horam cum scrupulis 32. 42.

Si autem libeat cognoscere quota hora Italica hæc obseruatio facta fuerit, cōsules nonum caput, in quo docetur horam Astronomicam conuertere in Italicam, & è conuerso horas Italicas ad Astronomicas reducere.

CAPVT VII.

Vt hora noctis, per alicuius stellæ fixæ Altitudinis cognitionem, intra Tropicos existentis, inueniatur.

HANC propositionem proponere, & exemplo declarare libuit, eo quòd vsus eiusdem summopere vtilis sit ad obseruationes Astronomicas, non autem quòd intelligam eandē seruire vt facile omni nocte horas cognoscamus, sed vt ea tantùm vtamur, quādo aliquo noctis tempore curiosè & exactè scire cupiemus veram Horā & horæ partem, quā vel natiuitatis tempus, aut initium, Medium, vel finis alicuius Eclipsis obseruari debet, vt videre licet in libello obseruationu m Eclipsium, Cometarum, Planetarum,

tarum,& stellarũ fixarum, Ioannis de Monteregio, Georgij Purbachij,& aliorũ.

Sed antequam hanc doctrinam aggrediamur, necessariũ erit vt cognitionem sumamus à constitutione alicuius stellæ fixæ, Tropicos non excedentis.

Verùm vt Lectori in omnibus satisfaciamus, adiecimus Tabulam quandam stellarum fixarum, earũdem Long. Lat. Declinationes, asc. Rectas, Cæli mediationes, nec non naturam ac magnitudinem cõtinentem, quam supputauimus, iuxta Ioannis de Monteregio regulam. Ad annum Christianæ Redemptionis 1610. Vt entes etiam ad hoc Tabulis Erasmi Rheinholdi, eo quòd illæ supputatæ sunt ad maximam Solis Declinationem graduum, nimirum 23. scr. 28. iuxta quam omnes nostræ Tabulæ calculatæ sunt, vt suprà recitauimus.

Vt ergo propositioni nostræ satisfaciamus, cognoscendæ erunt quinque, vtpote,

Ascensio Recta Solis.
Ascensio Recta Stellæ.
Declinatio Stellæ.
Altitudo Stellæ tempore obseruationis.
Eleuatio Poli.

Per Declinationem Stellæ capies ex tabula Declinationis signum cum gradu Zodiaci conueniens datæ Declinationi, & notandum est quòd huius signi gradus cum prædicta Stella, communia habent subsequentia, nempe; Arcum Diurnum, Altitudinem Meridianam, Altitudinem omni hora, (cùm æqualiter à Meridiano abfuerint,) & quàm plurima alia, quare per huius signi gradum inuestigabis, ex Tabula Altitudinum Solis tuæ eleuationis, horam correspondentem datæ altitudini Stellæ iuxta doctrinam præcedentis sexti Capitis.

Inuenta hora vocatur hora stellæ, qua cognoscitur quot horis & horarũ scrupulis prædicta stella distat à Meridiano; Dein aufer Ascensionem rectam Solis, ab ascensione Recta stellæ (adiecto Circulo integro, cùm subtractio fieri non poterit) & residuum conuertes in tempus, diuidendo (more solito) gradus differentiæ ascensionum per 15. & numerus proueniens monstrabit quot horis Sol distat à Stella.

Tandem auferes distantiam stellæ à Meridiano, per Tabulas inuentam à distantia Solis à stella, si ea in parte orientali existat, vel eandem addes, si occiduã partem occupat, & prodibit verum quæsitum tempus.

Quod reliquum est huius præcepti, multo faciliùs vnico exemplo capietur, quàm prolixa oratione.

Sit ergo quòd aliquis Antuerpiæ vltimo Septembris anni à Christo nato 1598. deprehẽderat magno Quadrante altitudinem Stellæ fixæ primæ magnitudinis, quæ apud Arabes dicitur Aldebaram, apud Astronomos verò oculus Tauri, eandem inuenerit (in orientali parte Cæli) graduum 11. scrup. 30. locus Solis tunc

temporis in parte septima Libræ, quare eius Ascensio recta grad. 186. 25.

Eiusdem Stellæ Declinatio Borealis grad 15. 54. & Ascensio recta grad. 63. 6. quemadmodum hæc in Tabula nostra stellarum fixarum apparet, ex his iam lubet horam noctis inquirere.

Per gradum Declinationis stellæ inuenies in Tabula declinationis quòd grad. 13. cum semisse Tauri conuenit in ascensu ac descensu cum data stella. Dein cum gradu 13.30. ♉ intrabis in Tabulam Altitudinum Solis ad latitudinem Antuerpiensem supputatam quærendo è regione huius Zodiaci gradus (iuxta præcedentis capitis cautelas) gradum 11 30 altitudinis stellæ, & inuenies horas 6. 5. pro vera distantia stellæ à Meridiano.

Ascensionem verò rectam Solis auferes ab ascensione recta Stellæ, hoc est gradus 186. 25. subtrahes à gradibus 63. 6 (mutuando gradus 360. cùm substractio fieri non poterit) & pro residuo reperies gradus 236. 41. qui in tempus faciunt horas 15. 47 hinc auferes horas 6. 5. supra inuentas, & remanebunt 9. 42. quare dices quòd obseruatio prædicta facta sit Antuerpiæ, die & anno prædicto, ad horam nonam cum scrup. 42. post meridiem.

CAPVT VIII.

De quantitate Diei ac Noctis, nec non hora ortus & occasus Solis, quotidie numeranda.

EX sphæricis notum est, duplices esse dies, naturales scilicet, & artificiales, naturales dies, vt illum Ioan. de Monteregio in Almagestum Ptolemæi definit,

Est tempus reuolutionis Solis, per motum Primi Mobilis à Meridiano, donec ad ipsum redeat.

Artificialis verò, est spacium temporis ab ortu Solis vsque ad eius occasum, & reliquum temporis spacium, quo Sol ab occasu ad proximum ortum sub Horizonte latet, dicitur Nox.

Si iam lubet diei artificialis & noctis quantitatem cognoscere ingredere Tabulam quantitatis dierum & noctium, ad finem huius libri adpositam, sed hoc sub titulo eleuationis Poli tuæ regionis in fronte Tabulæ posito, & mox excerpes per gradum Solis (quem in sinistro margine descendendo prædictæ Tabulæ inuenies, si signum Solis in capite Tabulæ habebitur, vel in dextro margine ascendẽdo, si signum in calce Tabulæ reperietur, in angulo verò communi inuenies horam & horarum scrupula, quæ indicabunt Arcum semidiurnum Solis, si Sol Septentrionalia, sed seminocturnum, cum Meridionalia Signa perambulat.

Si autem nec gradus Solis, nec eleuationis Poli gradus præcisè in Tabula inueniuntur, vtere parte proportionali, vt suprà.

Cognito

Cognito arcu ſemidiurno, eundem auferes ab Horis 12. & relinquetur arcus ſeminocturnus; & è conuerſo ſublato arcu ſeminocturno ab horis 12. quod reliquum erit, monſtrabit ſemidiurnum tempus.

Similiter arcus ſemidiurnus duplicatus oſtendit quantitatem diei artificialis, quam ſi ab horis 24. ſubduxeris, reliquum erit quantitas noctis.

Sed ut res magis innoteſcat, hoc ſume exemplum; Placet Antuerpiæ (ubi Polus ſupra Horizontē extollitur gradibus 51. cum Quadrante) cognoſcere arcum ſemidiurnum & ſeminocturnum, ad diem 21. & 22. Iunij, hoc eſt, cùm Sol principium Cancri obtinet.

In Tabula quantitatis diei & noctis, ad initium ſigni Cancri, inuenies ſub titulo eleuationis Poli 51. grad. H. 8. 16. & ſub eleuatione Poli 52. grad. H. 8. 15. quartam partem differentiæ addes cum horis 8. 16. & colliges H. 8. 11. 15. pro arcu ſemidiurno initij Cancri, in urbe Antuerpienſi eritque, iuxta præſens præceptū, tempus ſeminocturnum horarum 3. ſcrup. 48. 45 quare tota dies artificialis H. 16. 22. 30. Noctis verò quantitas horarum 7. cum ſcrupulis 37. 30.

CAPVT IX.

De Horis vulgaribus & Aſtronomicis in horas Italicas conuertendis, & è conuerſo.

NON omnes Nationes eadem dierum initia ſumunt, Germani, Galli, atque Hiſpani, à media nocte diei exordium capiunt, numerando 12. horas à media nocte, in ſequentem meridiem, & alias 12. horas, à meridie in proximam mediam noctem.

Si ergo horis poſt mediam noctem elapſis, addes horas 12, emerget horæ Aſtronomicæ; horas enim à meridie uſque ad mediam noctem habent hæ nationes cōmunes cum Aſtronomis, qui diem naturalē ſemper ab ipſo Meridie incipiunt, & in proximam ſequentem meridiem terminant.

Quòd ſi ſint horæ Aſtronomicæ in horas Italicas conuertendæ, aufer tempus ſemidiurnum, ab horis Aſtronomicis, & remanebunt horæ Italicæ ab occaſu numeratæ; & è contra, cùm libuerit horas Italicas ad Aſtronomicas reducere, adde tempus ſemidiurnum cum horis Italicis, & prouenient horæ Aſtronomicæ.

Sed exemplo hoc facilius diſces, ſit ergo Antuerpiæ Hora 10. antemeridiana, quæ Aſtronomis eſt 22, quæritur quota hora hæc dicetur apud Italos, cùm Sol initium Cancri obtinet.

Per datum locum Solis, & gradū eleuationis Poli, inquire (iuxta doctrinam capitis præcedentis) tēpus ſemidiurnum, quod reperies horarum 8. cū ſcr. 11. & amplius, tempus hoc auferes ab horis 22. datis, & remanebunt Horæ 13. Scr. 49. dico ergo, quòd hora 10. antemeridiana Antuerpiæ, nominetur 13. hora cū ſcr. 49 ſecundum uſum Italorum.

Aliud exemplum; Quidam Italus numerabat Antuerpiæ Die 22. Iunij, Sole initio Cancri obtinente, Horam 19. cum scrup. 49. more Italico, quæritur qua hora hæc fuit, more vulgari seu Astronomico.

Tempus semi-diurnum ad prædictum diem capies, secundùm doctrinā præcedentis capitis, idipsum tempus inuenies vt suprà H. 8. 11. quas coniunges cum Horis Italicis 19. 49. & summa erit 28. Horarum, seu 4. Horarum post meridiē, reiectis primo 24 horis secundùm regulam.

CAPVT X.

De Arcu Diurno Stellarum, tam errantium, quàm fixarum, intra Tropicos hærentium, deprehendendo.

PER gradum declinationis stellæ capies ex tabula Declinationis Solis Gradum Zodiaci congruentem datæ declinationi, & Arcus semidiurnus correspōdens, in tabula quantitatis dierum, gradui Zodiaci iam inuento, indicabit arcum semidiurnum, quo duplato habebis quæsitum.

Exemplum à Stella Aldebaram sumamus, cuius quidem stellæ declinatio Borea, ex tabula nostra, est grad. 15. 54 cum quo gradu 15. 54. inuenies in tabula Declinationis 13. grad. 30. Tauri respondere, qui in Tabula quantitatis Dierū sub Polo 51. gradu cum quadrante, vt Antuerpiæ, monstrat Arcum Semidiurnū Horarum 7. cum scrupulis 23. 30. quem Arcum duplicabis, & prouenient Horæ 14. scr. 47. dices ergo Arcum Diurnum Stellæ Aldebaram esse Antuerpiæ Horarum 14. & 47. scrupulorum.

CAPVT XI.

Quomodo Crepusculum matutinum ac vespertinum possis inquirere.

TEMPVS autem, quo Sol suam lucem in nostrum Hemisphærium incipit diffundere, vsque ad eius exortum in nostro Horizonte, dicitur Crepusculum matutinum; vespertinum verò crepusculum nominatur tempus ab occasu Solis sub Horizonte nostro, ad illud quo desinit nostrum aërem illuminare, & hoc fit secundùm Ptolemæi mentem, cùm Sol fuerit gradibus 18. sub nostro Horizonte.

Nonnulli tamen radios Solis se extendere dicunt ad Gradus 15. solummodo, Ptolemæi tamen sententia vbique potissimùm seruatur.

Si igitur lubet omni tempore, & in omnibus regionibus, quibus nostræ Tabulæ conueniunt, cognoscere quota hora Astronomica Crepusculum aliquod incipiet, ingre-

ingredere Tabulam Altitudinum Solis, sub titulo tuæ regionis, per gradum oppositum Solis, & quære (iuxta documenta capitis sexti huius primæ partis) horam, qua Altitudinem supra Horizontem obtinet, ad gradus 18. quâ inuentâ innotescet tempus quo Crepusculum initium sumet.

Exempli gratia, placet cognoscere, quota hora incipiet Romæ Crepusculum matutinum Die 22. Decembris, id est, eo tẽpore cum Sol obtinebit Initiũ Capricorni.

Per initium Cancri, quod Capricorni principio opponitur, inuenies (in Tabula altitudinum Solis, ad eleuationem Poli 42. Graduum confecta) Solem eleuatum supra Romanum Horizontem gradibus 18. Hora 5. scr. 49. post Meridiem. Dico ergo quòd ad datum diem Crepusculum matutinum incipit hora 5. scrup. 49. post mediam noctem, quod erit Hora 13. scrup. 21. more Italico, iuxta noni Capitis præceptum.

Totum enim nocturnum tempus est horarum 15. scrup. 4. hoc est, quòd Sol Romæ tunc temporis oritur Hora 15. scrup. 4. more Italico, hinc si subduxeras horas 13. scrup. 21. manebit pro quæsito Crepusculo H. 1. 43.

CAPVT XII.

Quomodo quis possit Azymuth Solis, qualibet hora diei, Sole in initijs duodecim signorum Zodiaci existente, scrutari.

Azymuth, sunt Circuli magni, exeuntes à Polo finitoris siue puncto verticis (quod Zenith vocant) per Horizontem, quo cognoscitur in qua parte mundi Sol vel aliquod sidus situm est, & quot gradibus distat à vero puncto ortus vel occasus Aequatoris.

Quare Astronomi intelligunt quadrantem Circuli Altitudinum prouenire ex puncto verticis, per locum Solis, & in Horizonte indicare Azymuth Solis.

Tabulas verò Azymuth Solis calculauimus ad omnia prædicta Climata totius Europæ (vt in cap. 4. annotatum reperitur) sed ad initia Signorum solummodo, nam etiam si ad principia Tropicorum, & Aequatoris pũctorum numeratæ tantũ fuissent, operi nostro potuissent satisfacere.

Si ergo Sol fuerit in initio alicuius signi Zodiaci, & lubet Azymuth Solis ad singulas horas (in regione cuius latitudo non sit minor gradibus 36. vel maior grad. 62.) cognoscere; Ingredere Tabulam Azymuth eleuationi poli tuæ regionis conuenientem, & in sinistro latere quares signum, in quo Sol tũc reperitur; Horam verò in capite Tabulæ inuenies, & in angulo communi statim offertur quæsitum Azymuth Solis, quod an Septẽtrionale vel Meridionale fuerit, facile dignoscitur, ex adpositis literis S. & M. Exemplo praxim declarabimus.

Sit inquirendum Romæ Azymuth Solis ad horam secundam pomeridianam,

Sole initium Cancri obtinente, hoc est, more Italico (iuxta capitis noni praeceptum, H. 18. scr. 28.

Tabulam Azymuth Solis, ad eleuationem Poli 42. graduum, ingredere, & sub columna Horæ 2. post Meridiem reperies, è regione signi Cancri, gradus 27. 10. & tantum dices existere Solis Azymuth Romæ, ad prædictum tempus.

CAPVT XIII.

De Amplitudine ortiua & occidua Solis monstranda.

Amplitudo ortiua est Arcus Horizontis, inter ortum Solis, & veri ortus punctum (quod ortus æquinoctialis vocatur) comprehensus, & è contra occidua amplitudo est similis arcus finitoris, inter occasum Solis, & occasum æquatoris interceptus, ex his nascitur triplex ortus Solis, quorum primus est Aequinoctialis, cæteri duo amborum Tropicorum, ortus autem qui à Tropico Cancri distinguitur, dicitur Aestiuus; alter verò qui à tropico Capricorni efficitur, Hybernus ortus nominatur, similes tres occasus intelliges in occidentali parte finitoris.

Ortus & occasus, tam æstiualis, hyemalis, quàm æquinoctialis vera puncta, nec non cætera (Astronomi amplitudinem dicunt) pro initijs cæterorum Signorum facile erit ex nostra amplitudinum Tabula inuestigare, idque sic:

Gradum eleuationis Poli in capite tabulæ quære, signum Solis verò in sinistro latere, & in angulo communi quæsitam Amplitudinem reperies, quæ Borealis erit, cùm Solis signum Boreale fuerit, vel Australis, si Australe.

Exempli gratia, in latitudine 42. graduum, vt Romæ, lubet cognoscere amplitudinem ortiuam Solis, ipso initium Geminorum possidente, in prædicta Tabula amplitudinum, sub columna graduum 42. è regione signi Geminorum, reperies in Area Tabulæ gradus 27. 38. pro quæsita amplitudine ortiua in vrbe Romana.

CAPVT XIIII.

Quomodo queas Meridianam lineam vnica obseruatione describere.

Vantæ vtilitatis, quanti vsus, ac iucunditatis sit, lineam Meridianam rectè in plano aliquo, finitori æquidistante, describere, sciunt illi, qui instrumenta gnomonica ac Dioptrica tractāt; Quid Ptolemæi Armillæ? Quid Monteregij Torquetus? Quid denique Globi & cætera instrumenta Dioptrica? nisi primò linea hæc ad amussim ducta sit?

Est autem Meridiana linea (vt inceptum ordinem sequar) sectio communis Meridiani Circuli cum plano aliquo Horizonti æquidistante.

Diuersi hanc diuersis modis docuerunt inuenire, sed hoc duabus obseruationibus, prima tempore antemeridiano, secunda pomeridiano, donec inueniebant pomeridianam vmbram alicuius styli perpendiculariter erecti, æqualē Antemeridianæ. Nos verò, auxilio nostrarum tabularum, docebimus eam duobus modis,

dis, vnica obseruatione inuenire, siue ante siue post Meridiem: Primò per vtrasque Tabulas Altitudinum Solis, scilicet, & Azymuthalium circulorum; secundò per solam Tabulam Altitudinis Solis in circulo verticali.

De primo modo.

Tabulæ Altitudinum Solis, ad diuersa Climata à nobis exarata indicant omni hora, ad singulos gradus Zodiaci, Almucantarath Solis, hoc est, Altitudinem Solis supra Horizontem. Azymuth Solis tabulæ, monstrant solummodo circulos Horizontales siue Azymuth pro initijs signorum Signiferi, quare cùm oporteat lineam meridianam adminiculo harum tabularum ducere, considerabis primò, quo die Sol initium alicuius Signi intrabit, & pro eo die ex Tabulis Altitudinū Solis exscribes ad aliquam horam futuram, siue antemeridianam siue promeridianam, Solis Altitudinem, qua habita tentabis quadrante aliquo magno inquirere Solis Altitudinem, donec eam inueneris æqualem Altitudini exscriptæ, & eodem temporis momento signabis in planum aliquod Horizonti æquidistans, lineam Azymuth Solis istius horæ, idque tali praxi, habeas in promptu filum à clauo perpendiculariter pendens, cuius vmbræ mediū signabis certis punctis, in prædictam planitiē, & linea per mediū vmbræ fili ducta vocabitur linea Azymuthalis, quæ indicat Azymuth Solis, in ea hora; Deinde ex tabula Azymuth, ad tuam Poli eleuationē numerata, notabis Azymuth Solis in hora huius obseruationis, quod seruabis; Postea facto centro in inuenta linea Azymuthali duces circulum, quem more solito diuides in 360. gradus, initiū numerorū gradaum sumendo à præfata Azymuthali linea, in quo circulo numerabis annotati ex tabula Azymuth cōplementum, sed hoc ad dextram vel sinistram, iuxta sequentes regulas, & tandem habebis quæsitam lineam Meridianam.

Regulæ ad ducendam lineam Meridianam.

Si obseruatio fit manè, antequam Sol peruenerit ad circulum verticalem in ortu, vel si eadem facta fuerit à prandio, dum Sol inter meridianum & circulū verticalē occasus versatur, in eo casu, numerabis semper cōplementum Azymuth Solis, (e tabula depromptum) à linea Azymuthali ad sinistram: sed si Sol oppositas Cæli partes possideat, tunc contrà numerabis prædictum complementū ad dexteram, per finem numeri ducenda est recta, quæ desideratam lineam Meridianam dabit. Sed vt præceptum hoc clariùs euadat, cùm tanti momenti sit, exemplo vtar, quo omnia ad regulam reducam.

Exemplum.

Sub altitudine Poli 51. graduū procuraui erigere planum Horizonti libellatū, hoc est, ad Horoscopium æquatum, & ad diem 22. Iunij, cùm Sol iam initium Cancri obtineat, libuit manè hora 7. à media nocte, lineam Meridianam in præfatum libellatum planum describere.

Quare


Quare primo exscripsi ex Tabula Almucantarath altitudinē Solis, ad futurā electam septimā horā matutinā, similiter ex Azymuth Solis Tabula, ad præfatam horam, sumpsi Horizontalem circulum, siue Azymuth Solis, vt sequitur.

Ad horam primam manè.

Altitudo Solis Grad. 27. 20.

Azymuth Solis Grad. 4. 15. Septentr.

Manè ergo, paulo ante septimam horam, incepi deprehendere magno quodam Quadrante altitudines Solis, quod reiterando aliquoties, eo vsque tentaui, donec eandem inueneram graduum 27. cum triente, & eodem momento temporis notaui vmbram fili, perpendiculariter pendentis, cuius vmbræ medium signaui punctis A. B. ducta iam linea recta per prædicta puncta, eam voco lineam Azymuthalem, in qua ad libitum posui pedem circini, vt pote in puncto C. ex quo, vt centro, ducto circulo D. G. E. F. eundem more solito, diuisi in partes 360. incipiendo à puncto lineæ Azymuthalis D. Deinde à prædicto puncto D. numeraui ad sinistram, complementum Azymuth Solis, gradus scilicet 85. cum dodrante, (quoniam Sol nondum peruenerat ad circulum verticalem) & per finem numeri F. & centrum C. duxi rectam F.C.G. quæ mihi quæsitam lineam meridianam prebebat, cetera præsens figura facile declarabit.



De meridiana linea alio modo & multo faciliùs auxilio Tabularum circulorum verticalium deſcribenda.

Rationem hanc per præcepta (facilitatis gratia) tradam.

1. Quæres quo die Sol initium alicuius Signi obtinebit.

2. Ex tabula altitudinum Solis in circulo verticali capies, ad deſignatum diem, hanc Solis altitudinem.

3. Magno admodum quadrante tentabis capere altitudines Solis, donec eandem inueneris æqualem altitudini in Tabula inuentæ.

4. Eodem temporis momento ſignetur vmbra fili, vt ſuprà in plano Horizonti ad amuſſim libellato.

5. Vltimò, ducta recta per medium vmbræ fili, eandem ſecabis ad angulos rectos per aliam rectam lineam, quæ quæſitam meridianam repræſentabit, præcepta hæc, cùm luce clariùs ſint, exemplo non egent.

Hoc tamen nō grauabor Lectorem hoc loco admonere, quòd omnium ſelectiſſimum & aptiſsimum tempus pro his obſeruationibus erit, cùm Sol vel in ipſis tropicorum punctis, vel in initijs ſignorum proximorū tropicis reperitur; quia in eis locis non facilè patitur altitudines, nec circulum Azymuthalem (ex Tabulis exſcriptam) ad aliquam horam variari, eo quòd cùm circa æquatoris puncta progreditur mutat omni hora declinationem, & per conſequens eius altitudinē ſupra Horizontem, ac circulum Azymuthalem, quam ob cauſam facile lineā meridianam, tēpore æquinoctiorum deſcriptam, à vero loco per aliquot minuta ſemotam inuenire poteris.

CAPVT XV.

De deſcriptione Horologiorum in planis.

Expoſitis propoſitionibus præcipuis noſtrarum Aſtronomicarū tabularum, quæ non ſolummodo vtiles videbantur Aſtronomis atque Coſmographis, ſed generaliter omnibus, qui Matheſim amant, non abs re fore videbitur eas deinceps ad vſum omnium adplicare, quod eo faciliùs præſtabimus, modò praxim tradamus, qua, ſumma facilitate adminiculo noſtrarum Tabularum, conſtruenda ſint omnia genera Horologiorum, ex quibus preter horas diei, etiam cognoſci poterit aſcenſus Solis ad noſtrum Zenith, in æſtate, atque eius deceſſus in hyeme, & conſequenter quatuor anni tempeſtates.

Genera verò Horologiorum multiplicia ſunt, nam eorum quæ in planis ſuperficiebus delineantur, aliqua dicuntur horizontalia, eo quòd ab Horizonte æquè diſtant, aliqua verticalia vel inclinantia. Deinde verticalium & inclinantium aliqua ſunt regularia, quæ ad præcipuam aliquam mundi plagam ſpectant, cæte-

ra verò, quæ ab his recedunt, declinantia vocantur.

Horizontale verò Horologium in qualibet regione est vnicum atque perfectum, propterea quòd seruire potest per totum diem artificialem, in se comprehendens omnes horas totius diei; quod reliqua negare videntur, eo quòd eorum planæ per totum diem à Sole non illuminantur. Quare non impropriè vocari potest, mater omnium Horologiorum, nam ex eo facilè cætera omnia genera Horologiorum confici possunt.

Meritò ergo à descriptione Horologij horizontalis initium sumemus, sed quoniam diuersæ nationes diuersa dierum exordia habent, vt suprà Capite nono recitauimus, propterea primò demõstranda erunt illa Horologia vt faciliora, quæ horas vulgares à meridie vel media nocte numerant, postea autem ea, quæ horas ab occasu vel ortu continent.

In delineationibus verò Horologiorum, quæ per stylum perpendiculariter erectum horas monstrant, semper duo requiruntur, nempe, recessus siue latitudo vmbræ styli, atque eiusdem vmbræ longitudo.

Ptolemæus in libello quem de Analemmate conscripsit, vtitur ad hoc duobus generibus circulorum, quorum illi, quos decensiuos vocat, longitudinem vmbræ, sed illi, quos horizontales nominat, vmbræ latitudinem monstrant.

Sed omnia hæc multo faciliùs per nostras tabulas comprehendes: Nam tabulæ Azymuth indicant horizontales arcus, per quos dantur deuiationes, siue latitudines vmbrarũ, à vero puncto ortus siue occasus æquinoctialis; sed illæ, quæ tabulæ altitudinũ nuncupantur, earundẽ vmbrarũ monstrant longitudines, quæ continuò mutantur, secundùm locum ac longitudinem styli.

Qui ergo ad datam aliquam Poli eleuationem vult Horologium horizontale describere, quod horas vulgares à meridie numerat, signũ quod Sol peragrat, & huic similia monstrare possit, ad opus sese ita accinget, vt sequitur.

De Horologio horizontali Astronomico cum arcubus signorum delineando.

Ex puncto A. vt centro, in adsumpta linea meridiana B D. describatur circuli peripheria, quæ per rectam C E. super puncto A. ipsi B D. ad angulos rectos ductam, in quatuor quadrantes secatur, & quilibet horum diuidatur in partes 90. æquales, initium numerorum sumendo à punctis ortus & occasus C & E. & hic circulus diuisus erit ad delineandũ lineas azymuthales pro singulis horis, deinde finges tibi longitudinem styli, pro ratione magnitudinis areæ futuri Horologij, sitq́; ea A I. & ex I. exeat recta I K. parallela cum diametro circuli B A D & adiecta regula ad singulos gradus quadrantis circuli C B, & centro A. secabitur recta I K, in partes 90. inæquales; vocabitur hæc I. K. recta, scala longitudinum vmbræ styli, eo quòd ex ea pro singulis horis, secundùm

altitudi-

altitudinem Solis in ea hora, capitur vmbræ longitudo, quæ circino trāsferetur ex centro A. in lineam azymuthalem istius horæ; & erit gradus 90. in puncto scalæ I.

